



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 9. De Paranensium Sociorum rebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Ab Provinciali conditione postulant,*

*Et donantur.*

*Guaicuruarum mores.*

*Infantia.*

*Superstitio.*

*Pervicacitas.*

*Sociorum labores.*

**CAPUT**

**IX.**

*De Paranensium Sociorum rebus.*

*Jaguapuanum oppidum describitur.*

*Sociorum excursiones.*

*Didaci Boroa labores.*

*Materiam animam.*

Finito prolixo cantu, simul omnes, tum gestibus, tum confusis vocibus, eandem rem urgentes, Provincialem perpulere, ut transmissis Paraquario eò se conferret, ubi circa Sociorum sacellum frequentes Guaicurari storeas suas plicatiles in forma oppidi explicuerant. Provincialis, cognita gentis conditione, ita cum Duce pepigit, ut si apud se Socios JESU perseverare vellent, in oppido pedem figerent, & ab injustis bellis abstinere: indecentissimum enim videri, ut qui se Societati ab tot annis instituendos tradidissent, nihil de antiqua feritate remitterent. Admissis in speciem conditionibus, dona singuli de Provincialis manu accipere, qui quamvis stabilitatem sponderent, exigua omnino affirmantibus fides habita est: quod multorum annorum usu satis compertum esset, diu uno in loco perseverare nolle; stimulante eos belli aviditate, adeo genti innata, ut singulis pene annis mutatis sedibus hostem quarant. Ex bello reduces peremptorum hostium crania ad uxores suas ovando referunt. Quæ crania foeminae festis diebus ornatissima cum luculentâ popularium commendatione hostibus quasi rursus insultantes in medium proferunt. Quin cum ipsi elementis certare quandoque Guaicuraris furor est. Dum tempestas ingruit, & omnia tonitruorum, ventorumque terroribus replentur, simul omnes sub storeis suis agminatim tanquam ad prælium prodeuntes clavas in aëra vibrant; sagittas, quæ fulgetrorum splendor crebrescit, frequentes emittunt: deficientibus armis lapides, supellectilem, & quidquid obvium est, contra ventos ejaculantur: arbitrans eâ fortitudinis ostentatione demones, quos tempestatum auctores existimant, abs se reprimi, ne damnum inferant. Suas etiam festivitates non sine præliorum imagine faciunt. Nec alia inter eos major Hilariorum crebritas est, quam cum Septemtriones in hoc hemisphærio apparere cœperint: tum enim nullâ habitâ conditionum ætatûve ratione pugnis se mutuo ferientes insanis vociferationibus aëra complent, futuram anni prosperitatem sterilitatêve majori minorive debacchationum furore metientes. Igitur Provincialis, quamvis ferè nulla convertendæ gentis spes astulgeret, tamen ultimi experimenti ergo, & quia Assumptionis urbs id exigebat, Socios apud Guaicuraros reliquit, eo tempore retrahendos, quo omnino de gentis stabilitate desperaretur. Triennio sequenti Petrus Romerus, Alfonso Rodericus & Josephus Oregius in hoc spinetu elaborantes, exiguos planè paucorum infantium, & aliquot adultorum, paulò ante mortem baptizatorum, manipulos in horreum Æterni Patris intulere. Reliqui impietatum spinis suffocari se vivere. Quare pervicacissimæ huic genti, nisi cum excusso pedum pulvere deseretur, vix calamum impostum meum accommodabo.

**A**D Paranam pestis integro fermè oppido se pavit. Jaguapuanum id fuit, ubi Socii benè magnam Barbarorum multitudinem Christo per octennium genuerant: gentis reliquiæ partim Itapuam, partim aliò transmigravere. Nec minùs in alias Neophytorum nostrorum colonias fera lues sæviit. Quæ sopitâ Socii, frequentibus ad Ethnicorum terras excursionibus, mortuorum numerum novis accessionibus supplere satagerunt; eminente in hac hominum venatione Didaco Boroa, adeo in animarum prædam intento, ut sui incurius, dissimulatâ febre, stupefactis frigore artubus, gelidissimos torrentes umbilico tenuis transvadaret. Contractis rigore nervis cum palustri luto luctabatur, & nudis pedibus arenosa sylvestriaque loca peragrans, ad rupium apices enitebatur: quorum laborum fructus ordinarii erant, decem aut viginti Ethnicorum familias ex uno nemore, totidem ex alio, aut ex littoralibus spelæis rupiumque receptaculis erutas, ad oppida plerumque cum vitæ periculo reducere. Sub id tempus illustre fortitudinis specimen dedit Itapuana virago. Ex utriusque parentis oculis, & tantum non sinu, effera tygris decennem puellum eripuerat, dorsoque impositum in proximam sylvam efferebat ad vorandum: puelli genitor subito casu attonitus aufugit; sed mater stimulante teneriori amore, periculi immemor, in feram involat, ereptamque ex unguibus prolem ad maritum reportat: tygride nihil omnino contra tantam fortitudinem hiscere ausa, & marito minùs in se virilitatis, quam in uxore, inesse totâ vitâ fatente. Quod quamvis mirabile sit, tamen memorabilia Sociorum Paranensium Urvaicentiumque facinora

existimo,

existimo, quotidie ex infernalis bestiae unguibus numerosas animas, spreto quovis mortis discrimine, eripientium. At jam Guairaniae Socios non inferiora sectantes inspectum eamus.

**A**NTONII Ruisii, Guairaniae Socii pro Josepho Cataldino moderantis, praefecturae principium insignivit novae gentis in Caesorum Regnam amor singularis. Advexerat is e portu Boni-aëris Statuam Virginis Lauretanae, Hispani sculptoris opus eximium, induxeratq; Lauretanum in oppidum, tantâ Neophytorum aggratulatione, ut abunde compensatam stragem, quam pestis in itinere fecerat, pergeratque in oppido facere, hanc unâ hospite assererent. Fama ad Divi Ignatii coloniam de speciositate Statuae Marianae perlata, quamvis pestis grassaretur, plures Neophytos accivit, ut oculos tantae Reginae aspectu pascere, aëntes, quodvis mortis periculum spernendum esse, praë illecebris occultâ quâdam virtute ab clementissima Principe in spectantium animos instillatis. Sed ne contagiosa lues Ignatianum oppidum eâ occasione corripere, visum est Patribus eò tantisper transferendam esse. Quod ut decentius fieret, Ignatiani Neophyti viam duarum leucarum per intactas sylvas, quâ pompa ducenda erat, aperuere, & omnes, nemine dempto, antequam ad spectandam Imaginem prodirent, se siterere Sacerdotibus, Confessione conscientias suas expiari postulantes: aiebant enim indecorum esse, animo inquinato puritatis Matrem aspicere. Id idem cum plerique Lauretanorum, antequam in suum oppidum Statuam inveherent, fecissent, non dubitatum eam mentem caelitûs utriusque injectam esse, ut existimarent MARIÆ favores ab iis sperari posse, qui se prius cum ejus Filio reconciliaissent. Certè id commodi octiduano Virginis hospitio Ignatiani Impetravere, ut ab lue liberarentur.

**R**ESTITUTA loco suo Virginis statuâ, quinque e nostris Sacerdotibus Lauretum ad juvandos peste afflato convenere. In quos sic officia distributa sunt, ut duo conscientias agrorum Sacramentis diu noctuque procurarent: totidem sectione venarum & aliis remediis corporibus mederentur. Joanni verò Vasæo templi cura & sepeliendorum cadaverum concessa est. Sexaginta corpora uno die aliquando sepulta sunt: cum vis mali mitissimè ageret, viginti trigintave terræ mandabantur. In eo opere Joannem Vasæum pestilens aura afflavit, sustulitque. Tornacum Gallo-belgicae urbs, vetus Nerviorum sedes, ei patria fuit: praeter aliarum artium studia, Musicam ita coluit, ut in Alberti Austriaci & Isabellæ Claræ Eugeniæ odæum adscitus, eorum favorem meruerit. Canoniaru & alio Beneficio donatus, cum ampliora ab tantis Principibus sperare posset, jam Sacerdos, Societati JESU nomen dare maluit. Sed quod pater ejus, tenuis fortunæ homo, negaret se sine filii subsidio vitam sustentare posse, e tyrocinio dimissus, annuo censu parenti impetrato, Religioni nostræ iterum consecravit. In Belgio per pagos concionabundus frequenter excurrens, Indicis missionibus prælusit. Unam e transmarinis provinciis ambientem, quamvis speciosior offerretur, Paraquaria ob laborum Apostolicorum famam placuit. E portu Boni-aëris in Guairaniam missus, Laureti sexennium perstitit, ubi Ethnicis baptizandis & Neophytis poliendis egregiam planè operam navavit. Sed præcipua ejus gloria fuit, artem Musicam Neophytos docuisse; & in comperto est, ab ejus schola, in nova Neophytorum oppida, Societatis operâ per varias Paraquariae Provincias constructa, usum Musicæ artis, & instrumentorum symphoniacorum, cum ingenti Divini cultûs augmento fuisse derivatum. Quoad ejus virtutes, hæc ex Antonii Ruisii, qui sexennio ei præfuit, authographo accipe.

*Quidquid, inquit, Angelica puritati, quam profitebatur, officere poterat, Ioannes Vasæus cane pejus & angue oderat: quo odio id assequutus est, ut per sex annos integros in media & penè nuda barbarie ne levem quidem contra Castitatem incuriam Exhomologesi expiandam exhibuerit, nec unquam in somnis illud se senserit. Quotidie ante somnum juxta lectulum Angelo suo Custodi sedem collocabat, quâ honoris exhibitione, & vario caelestium Geniorum cultu, agnatam Angelis puritatem impetrasse creditus est. In summis torrida Zona caloribus, quamvis febricitaret, nunquam, nisi monito Superiore,*

*aquam*

## CAPUT

X.

De Lauretana Virgine.

*Neophytorum erga Virginem amor.*

*Expiati ad visendam Virginem procedunt.*

## CAPUT

XI.

De vita & morte Joannis Vasæi.

*Pestis.*

*Joannis Vasæi patria.*

*Artis musicae peritia.*

*Parentum tenuitas.*

*Labores apostolici.*

*Mores integri.*

*Erga Angelum Custodem devotio.*